



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Hæc sententia ut verior & probabilior eligitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

nequaquam discordet, agnoscat. Deum quippe Angeli vident, & videre desiderant, & sicut intueri & intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectus sui desiderii minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas penam. Beati verò Angeli ab omni pena anxietatis longè sunt, quia & Psalmista ait: Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo rectè sibi utraque convenient, dicat Veritas: Quia semper vident. Dicit Prædicator egregius: Quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longè aberit ab ista sitis necessitas, longè à satietate fastidium; quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.

Eandem veritatem breviter expressit Petrus Damianus, in hymno de gloria Paradisi, ex dictis sancti Augustini collecto, his versibus:

*Vno pane vivunt cives utriusque patrie:
Avidi & semper pleni, quod habent desiderant.
Non satietas fastidit, neque fames cruciat.
Inbiantes semper edunt, & edentes inbiant.*

Dices secundò: Gregorius Nazianzen. orat. 42. affirmat, diem resurrectionis Christi, salutem mundo fuisse, tam visibili, quam invisibili. Ubi Nicetas ejus Interpres, per mundum invisibilem, Angelos sanctos intelligit: Atqui salus illa, respectu Angelorum, non potest alia intelligi, quam salus perfecta & consummata per visionem Dei, & fruitionem beatificam: Ergo Angeli non sunt adepti claram Dei visionem, usque ad Christi resurrectionem, & glorificationem.

Respondeo Nazianzenum, vel per mundum invisibilem intelligere animas Sanctorum Patrum, quæ in sinu Abrahamæ detinebantur: vel solum voluisse quòd Angeli tunc magnam gloriam accidentalem receperint; unde observant aliqui, Angelos ex eo tempore apparuisse in corporibus lucidis & gloriosis, non ante. Vel demum, ut interpretatur Nicetas, Nazianzenus verbis illis solum significare voluit, quod tunc ruinæ Angelorum resarciiri cœperunt, licet Angelis ipsi non tunc primum gloriam & beatitudinem essentialem receperint.

ARTICULUS IV.

Quot morulis sive instantibus Angelorum via completa fuerit?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

41. **S**uppono primò, numerum instantium, ex quibus tempus angelicum constituitur, desumi ex numero vel diversarum quoad substantiam operationum liberarum, inter se ordinem successione habentium, ita ut una sit duratione posterior altera; vel saltem inter se diversorum modorum intrinsicè & successivè eidem substantialiter operationi angelicæ convenientium. Ita colligitur ex S. Thomæ hinc art. 5. ad 2. sic dicente: *Angelus est supra tempus rerum corporalium: unde instantia diversa in his quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundum successionem in ipsorum atti-*

A bus. Quibus verbis S. Doctor suppositionem istam & docuit & probavit. Ejus veritas etiam patet ex dictis disputatione sexta, in qua egimus de tempore Angelorum, quo mensurantur illorum operationes liberae.

Suppono secundò, quòd quando loquimur hic de instantibus viæ Angelorum, non solum comprehendimus instantia intrinsicè viæ, sed etiam instans extrinsecè terminativum, quale est instans damnationis in malis, & glorificationis in bonis. Unde quando inquiritur, quot instantibus Angelorum via completa fuerit: idem est ac si quereretur, quot instantia fluxerint, à creatione Angelorum, usque ad glorificationem bonorum, & damnationem malorum inclusivè. His præmissis.

Circa difficultatem propositam triplex versatur sententia. Prima est Cajetani & Nazarii quæst. sequenti art. 6. docentium quòd tantum instantia pro via tam malorum quam bonorum Angelorum esse constituenda: ita ut primum instans sit assignandum creationi Angelorum omnium, eorumque merito non plene libero, id est actui charitatis, necessario quoad specificationem, & libero quoad exercitium, quem articulo præcedenti insinuavimus) omnes Angeli tam mali quam boni in primo creationis instanti elicerunt: secundum autem assignandum sit merito plene libero bonorum Angelorum, & peccatorum malorum; in cuius instantis termino, boni affectui sunt præmium, & mali supplicium. Unde dicunt quòd primum instans fuit simpliciter via, & nullo modo terminus; secundum verò, tam respectu malorum, quam bonorum, fuit via simul & terminus.

Secunda opinio ponit tria instantia pro malis Angelis, & duo tantum pro bonis. Ita Banner, Joannes à S. Thoma, Marcus à Serra, & plures alii ex nostris Thomistis, qui dicunt quòd Angeli boni perseverantes in actu dilectionis quem elicere in primo instanti creationis, unicum tantum instans fecerunt, post quod statim glorificati sunt; mali verò, eliciendo actum distinctum ab eo quem elicuerant in primo instanti creationis, duo instantia sibi fecere, post quæ damnati sunt: unde comprehendendo instans glorificationis bonorum, & damnationis malorum, illorum via duo tantum instantia, istorum verò tria completitur.

Terrius dicendi modus asserit viam tam bonorum quam malorum Angelorum triplici instanti fuisse completam, seu tria fluxisse instantia à creatione Angelorum usque ad glorificationem bonorum, & damnationem malorum inclusivè. Ita Capreolus, Salmanticenses, & alii plures, etiam ex extraneis.

§. II.

Hæc sententia ut verior & probabilior eligatur.

Dico primò, viam malorum Angelorum triplici instanti fuisse completam. Probatur contra Cajetanum & Nazarium: Tot ponenda sunt instantia pro via demonum, quot fuerunt operationes realiter inter se distinctæ, sibi que succedentes, quibus eorum via fuit ultimò terminata: Atqui tres fuerunt hujusmodi operationes. Ergo & tria instantia. Major patet: nam, ut ostendimus in prima suppositione, instantia temporis discreti, de quibus hic

habe loquuntur, multiplicantur juxta numerum operationum sibi succedentium. Minor verò probatur: Dæmones in primo instanti creationis elicerent actum meritorium, & postea actum mortaliter peccaminosum; hunc verò secunda est damnatio: Sed illæ operationes non solum distinguntur realiter, sed etiam sunt inter se impossibiles: Ergo tres fuerunt distinctæ operationes, quibus Angelorum via fuit terminata. Major est certa: Minorem etiam admittunt omnes quoad primam & secundam operationem: cum enim prima sit conversio actualis ad Deum ut ultimum finem simpliciter; secunda verò conversio actualis ab eodem, non possunt non distingui. Quoad tertiam verò, potest facile probari contra Cajeranum: Quia summa delectatio, & summa tristitia, sunt inter se impossibiles, respectu ejusdem subjecti: Sed Angelus in eo instanti in quo peccavit, habuit summam delectationem & complacentiam in sua perfectione naturali: Ergo non potuit simul habere summam tristitiam de pœna damni. Ergo damnatio quæ pro tertia operatione ponitur, etiam est distincta, sed & impossibilis cum actum peccaminosum Angeli, & multò magis cum actum meritorio.

Confirmatur: Impossibile est malum Angelum simul & in eodem instanti in via & extra viam fuisse, ut constat ex ipsis terminis, nec non ex eo quòd in via habuit fidem, spem, potentiam ad merendum, & plura alia dona supernaturalia, quæ cessante viâ, & extra illam positus, non continebat: Sed dum primò peccavit, erat in via, ut patet; è contra verò dum primò damnatus est, erat extra viam, quia erat in damnatione, quæ est terminus viæ: Ergo implicat dæmonem simul & in eodem instanti primò peccasse & fuisse damnatum.

Confirmatur amplius: Malus Angelus, dum primò peccavit, erat in cælo Emyreo; fuit verò postea in inferno, & ignibus tartareis alligatus: Sed non potuit eodem momento esse in cælo, & in inferno; cum juxta Damascenum non possit Angelus simul esse in cælo & in terra: Ergo idem Angelus non potuit esse mensura peccati & damnationis dæmonum; sed in uno instanti peccaverunt, & in alio damnati sunt.

Dico secundo, viam bonorum Angelorum simpliciter etiam constare instanti.

Probat: Via bonorum Angelorum triplici instanti completa est, si instans in quo Angelus plene & perfectè meruerunt, eliciendo actum charitatis, liberum quoad specificationem & exercitium, sit distinctum ab eo in quo peccati sunt, & imperfectè unà cum Angelis damnati meruerunt, eliciendo actum charitatis, liberum solum quoad exercitium; & ab altero in quo glorificati sunt, & præmium æternæ beatitudinis reportarunt: Sed instans in quo Angeli boni plene & perfectè meruerunt, ab instanti creationis & glorificationis illorum distinctum est: Ergo illorum via à triplici tantum instanti completa fuit. Major patet, Minor verò quoad primam partem probatur contra Bannem, Joannem à S. Thoma, & alios, qui existimant instans in quo Angeli boni perseveranter meruerunt, non distingui à primo instanti creationis in quo omnes meruerunt. Nam, ut supra dicebamus, instantia multiplicantur in Angelis secundum instantiam operationum variationem: Sed Angeli Beati non manserunt in iisdem operati-

bus invariatis, quas simul cum aliis non perseverantibus habuerunt in puncto creationis: Ergo non manserunt in eodem instanti, sed fecerunt sibi secundum instans. Major patet, Minor probatur. In primo instanti creationis Angeli boni habebant ex parte intellectus judicium practicum, quo judicabant amandam esse propriam excellentiam beatitudinis naturalis, cum subjectione ad supernaturalem: at verò cum Lucifer & ejus sequaces ad suam excellentiam inordinatè & contemptà divinà regulà conversi sunt, & suo exemplo alios tentarunt, Angeli Beati habuerunt judicium practicum, quo judicaverunt amandam esse excellentiam beatitudinis naturalis, cum subjectione ad supernaturalem, non obstante etiam tentatione Luciferi & sequacium, ad oppositum invitante, & hoc judicium constat esse intrinsecè diversum à primo: similiter ex parte voluntatis sequutus est actus proportionatus huic secundo judicio; quia diversitas in actibus intellectus practici, causat diversitatem in actibus voluntatis: Ergo Angeli Beati, à creatione usque ad glorificationem, in eadem operatione invariata non manserunt.

Nec valet responsio Joannis à S. Thoma, asserentis nullam fuisse variationem in judicio practico bonorum Angelorum, nec in actu voluntatis per illud regulato, sed actus illos mansisse intrinsecè invariatis, usque ad sequens instans glorificationis, quia, inquit, idem omnino ab initio creationis proponebatur objectum quod postea: Non valet, inquam, hæc responsio: siquidem in initio creationis prædictum judicium practicum non proponebat voluntati conversionem in Deum ut finem supernaturalem, ut conjunctam cum tentatione à Lucifero proveniente, quæ tunc non erat, bene tamen immediate post, cum Lucifer cœpit peccare, & alios Angelos suo exemplo, suisque suggestionibus ad peccandum inducere: Ergo facta fuit necessariò variatio intrinseca in judicio practico intellectus, & consequenter in actu voluntatis.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quoties insurgit aliqua difficultas de novo circa aliquam actionem, toties requiritur speciale judicium practicum, quo actio illa imperetur, & vincatur difficultas: Sed Angelis Beatis, ex hoc ipso quòd alii peccarunt, insurrexit nova difficultas in conversione ad Deum ut finem supernaturalem, quam non habebant ante eorum lapsum: Ergo debuit etiam necessariò esse novum aliquod judicium practicum, quo hæc difficultas vinceretur; & consequenter novus voluntatis conatus, quia hæc duo se consequuntur.

Addo quòd, non solum duæ operationes Angelis, successivè se habentes, exigunt duo instantia, sed etiam varietas intrinseca ejusdem operationis penes diversos modos ipsi convenientes; quia instans angelicum nihil est aliud quàm unica operatio invariabiliter se habens quoad intrinseca, sicut & ipsu instans invariabile est quoad illa quæ intrinsecè importat: Atqui operatio quæ Angelus meruit in primo instanti creationis, in sua continuatione fuit variata, saltem quantum ad aliquem modum intrinsecum: Ergo dato etiam quòd actus quem Angelus in primo instanti elicit, idem manserit quoad substantiam, non fuit tamen idem sed diversum instans, &c. Major patet, Minor probatur. Actus meritorius elicitus in primo instanti creationis, fuit necessarius quoad specificationem, & liber solum quoad

quoad exercitium; actus verò charitatis quo meruit perseveranter, fuit liber tam quoad exercitium quam quoad specificationem, ut antea declaratum est: Sed necessitas & libertas sunt modi quidam intrinseci actuum: Ergo operatio quã Angelus in primo instanti creationis meruit, fuit variata, saltem quantum ad aliquem modum intrinsecum. Major est certa, & conceditur ab Adversariis, Minor verò suadetur. Tum quia libertas actionis est specialis quãdam ratio vitalitatis: Tum etiam quia quod habet potentia in actu primo, actio debet habere in actu secundo: Sed necessitas & libertas in actu primo sunt modi quidam intrinseci voluntatis, & non purã denominationis extrinsecæ: Ergo & actualis libertas, quæ relucet in ejus operationibus, erit modus quidam illis intrinsecus, & non sola denominatio extrinsecæ, ut quidam ex Adversariis dicunt.

51. Adde etiam, quod actus intellectus, dirigens actum meritorium, liberum solum quoad exercitium, & cognitio dirigens actum meritorium, liberum tam quoad specificationem quam quoad exercitium, sunt actus inter se repugnantes, & impossibiles; quia unus proponit objectum sub indifferentia, alius verò sub ratione boni tantum: Ergo oportet quod actus meritorius in sua inchoatione & in sua continuatione, duplici instanti mensuretur. Consequentia probatur: actus meritorius in sua inchoatione est simul cum cognitione proponente objectum sub ratione boni tantum; ut continuatus verò, est simul cum iudicio indifferenti: Ergo si illa cognitiones sint inter se repugnantes & impossibiles, ac duplici instanti mensurentur, etiã actus meritorius Angeli in sua inchoatione & in sua continuatione, mensurabitur duplici instanti.

52. Confirmatur & magis urgetur hæc ratio. Tota ratio propter quam actus meritorius vitæ æternæ, & amor beatificus, nequeunt, juxta Bannem & Joannem à S. Thoma, esse in eodem instanti, est quia diriguntur per cognitiones impossibiles; quamvis idem numero actus charitatis vitæ possit quoad substantiam continuari in patria: Ergo similiter, quamvis daretur quod actus charitatis, quem Angelus in primo instanti creationis elicit, in sua continuatione idem manserit, quantum ad substantiam, quia tamen iudicium quod Angelus habuit in primo instanti creationis, est impossibile cum eo quod habuit merendo omnino liberè, ponenda sunt duo instantia distincta. Unde D. Thomas quaest. sequenti art. 6. ad 4. de Angelis ait: *Quod prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt distincti: & ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni à malis distincti.*

53. Secunda pars Minoris principalis, quæ asserit instans in quo boni Angeli plenè & perfectè, seu cum perfecta deliberatione meruerunt, ab instanti glorificationis illorum fuisse distinctum, probatur contra Cajeranum & Nazarianum ex eodem S. Doctore hic art. 5. ad 2. dicente: *Instantia diversa in his quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur, nisi secundum successionem in ipsorum actibus. Non autem potuit simul in Angelis esse actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis qui est fructus; cum unus sit gratia imperfecta, & alius gratiæ consummata: unde relinquitur quod oportet diversa instantia accipi, in quorum uno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.* Quibus verbis S. Doctor rationem fundamentalem ad probandam hanc secundam partem Minoris insinuat: in-

stantia enim angelica diversificantur secundum successionem in ipsorum actibus: Sed instans actum meritorium beatitudinis, & ipsum beatitudinis actum, est successio: Ergo non sunt idem instans meriti bonorum Angelorum, & præmii essentialis beatitudinis. Major patet, quia Angelus est supra tempus rerum corporarum. Minor verò probatur: Actus meritorius beatitudinis est actus gratiæ imperfectæ; actus verò beatitudinis est actus gratiæ consummatæ: Sed non est possibile simul in eodem instanti reperiri actum gratiæ imperfectæ, & gratiæ consummatæ: Ergo &c.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Gratia imperfecta, quam D. Thomas dicit principium meriti, non est aliqua gratia minoris intensio, quàm consummata; siquidem illi, quando intensior est gratia in viatoribus, quam in multis beatis; sed est gratia in statu imperfecto cujus actus regulantur per fidem: nam primum principium ex quo tam Angeli quam homines ordinantur in beatitudinem supernaturalem, & in eam tendunt, est gratia cum obliquo fidei lumine; sic enim est gratia viæ & peregrinationis: Atqui non potuit in Angelis simul esse gratia viæ, cujus actus regulantur per fidem, & gratia consummata, cujus actus regulantur per lumen gloriæ & visionem Beatam: quia invidentia fidei repugnat in eodem subiecto cum evidentiæ luminis gloriæ & visionis Beatæ: Ergo non potuit in Angelis esse simul actus gratiæ imperfectæ, & gratiæ consummatæ: nec potest contingens meritum simul, seu in eodem instanti, cum beatitudine; illud enim à gratia imperfecta viæ procedit, & per lumen fidei obliquo regulatur; hæc verò est à gratia consummata patriæ, & in clara Dei visione consistit.

Dices cum Cajetano & Nazario, quod licet fides & meritum non potuerint manere in primo instanti beatificationis Angelorum, secundum imperfectionem quam important, nempe fides secundum obliquitatem, & meritum secundum quod est actus variabilis, & tendens in præmium nondum habitum; potuerunt tamen manere secundum perfectionem quam dicunt formaliter: pura fides, secundum quod est certa cognitio supernaturalium; & meritum secundum quod dicit conversionem in bonum supernaturale, aut prosecutionem ipsius: unde Cajetanus meritum cum imperfectionibus appellat *meritum ut in viâ*; meritum verò sine imperfectionibus vocat *meritum ut in termino*.

Sed contra primò: Fides & meritum secundum id quod dicunt perfectionis, seclusis imperfectionibus repugnantibus beatitudini, nec fidei, nec meriti rationem habent, quia imperfectiones illæ sunt de eorum ratione formalis; obliquitas enim seu invidentia v.g. est de ratione formalis fidei, eaque sublatâ fides subsistere requirit: dicere ergo fidem & meritum potuisse reperiri in Angelis in instanti glorificationis illorum, seclusis imperfectionibus beatitudinis repugnantibus, est dicere nec fidem nec meritum tunc potuisse in Angelis reperiri.

Deinde, Vel mansissent in ipsis, vel solum in suo termino, visione scilicet & dilectione beatifica? Si hoc secundum dicitur, revera nec fides nec meritum mansissent formaliter, sed solum effectus sive terminus extrinsecus meriti. Si vero primum asseratur, oportet necessariò concedere fidem & meritum secundum proprias rationes dicentes

dicentes imperfectionem mansisse; quia fides & meritum nequeunt in se formaliter manere, nihilnequeat torum hoc quod dicunt ex sua ratione formali: nam perfectio inclusam aliquo, nequit reperiri nisi vel in propria ratione illius, vel in aliquo superiori, in quo virtualiter, vel eminenter contineatur.

Ex his habes, totum negotium bonorum & malorum Angelorum, tribus instantibus fuisse absolutum. In primo omnes fuerunt creati in gratia, & operati tam operatione naturali quam supernaturali, ad quam à Deo ut speciali motore applicati sunt: unde in eo omnes quidem meruerunt, sed non plenè & perfectè: quia actus charitatis quem tunc elicerunt, non fuit perfectè liber, sed necessarius quoad specificationem, & libertatem quoad continuationem & exercitium. In secundo instanti Angeli boni in sua ad Deum conversione supernaturali, ex plena deliberatione, ac perfectà libertate, perseverantes, plenè ac perfectè meruerunt: Angeli verò mali, seclibèrè ad propriam excellentiam inordinatè convertentes, à Deo averfi sunt, & peccaverunt. In tertio tandem boni consecuti sunt primum eternæ beatitudinis; mali autem supplicium æternæ damnationis.

Dices: Instantia Angelorum diversificantur secundum numerum operationum ipsorum, ut supra ex D. Thoma ostendimus: Sed boni Angelus medio sua via habuerunt plures actus bonos, scilicet, spei, charitatis, religionis &c. mali verò plures actus peccaminosos, superbiæ, iræ, &c. Ergo prædictum medium non fuit mensuratum uno instanti, sed pluribus; & ita totum negotium bonorum & malorum Angelorum, tribus tantum instantibus non fuit absolutum.

Respondeo ex eodem S. Doctore hinc art. 5. ad 1. & supra quæst. 10. art. 5. ad 1. numerum instantium ex quibus tempus angelicum constituitur, componi ex numero operationum habentium inter se ordinem successione, ita ut una sit post aliam; & ideo plures operationes quæ sunt simul duratione, sive illæ pertineant ad eandem potentiam, sive ad diversas, diversa instantia temporis angelici non constituunt: unde cum prædicti actus tam in Angelis bonis quam malis fuerint simul, non exigunt plura instantia temporis angelici, sed unum tantum.

Quæres, quanta fuerit mora & duratio uniuscujusque, ex tribus instantibus enumeratis, per correspondentiam ad nostrum tempus?

Respondeo cum Salamanticensibus, & Joanne à S. Thoma, contra Nazarium, Suarem, & Valentiam, primum instans angelicum, in quo omnes tam mali quam boni imperfectè meruerunt, solum durasse per unicum instans nostri temporis. Hoc enim aperte colligitur ex D. Thoma sequenti art. 6. ubi asserit probabilius esse quòd Diabolus statim post primū instans suæ creationis peccaverit: cum enim creatio, per correspondentiam ad nostrum tempus, fiat in instanti, si verum est Angelum peccasse immediatè post instantem creationis, sequitur meritum ejus imperfectum durasse solum per unicum instans nostrum. Ratio etiam, quam idem S. Doctor ibidem insinuat, id aperte convincit: nam actus quæ Angelus elicit in mora temporis, subsequente instantem creationis, fuit liber quoad specificationem & exercitium: quia hunc actum præcessit actus elicitus in instanti creationis, ratione cujus voluntas Angeli intelligitur completa in actu primo, ad

A hoc ut possit seipsam movere in continuatione actus, vel in productione alterius: unde si in morula illa temporis, subsecuta instans indivisibile creationis, non peccasset, sed dilexisset Deum ut finem supernaturalem, sicut dilexerat in primo instanti suæ creationis, fuisset redditus inflexibilis in tali amore, & consequenter impeccabilis; quia, ut infra patebit, Angelus redditur omnino inflexibilis per illum actum quem omnino libere elicit, & in quo seipsam movet. Cum ergo Angelus malus non fuerit inflexibilis in dilectione Dei, dicendum est actum meritorium, quem habuit communem cum Angelis bonis, durasse solum per unicum instans nostri temporis.

B Ex quo sequitur, secundum instans in quo mali peccaverunt, & boni in bono perseverarunt, parti nostri temporis coexistisse: quia post instantem nostri temporis, in quo omnes meruerunt, non sequitur aliud instans, sed tempus. Quantum autem fuerit illud tempus cui coexistit secundum instans angelicum, omnino incertum est. Solum constat tempus illud fuisse finitum ante lapsum Adami: nam quando ille peccavit, mali Angeli jam damnati erant; cum eorum Princeps Evam sub figura serpentis seduxerit, ut dicitur Genes. 3. aliunde verò cum mali Angeli de cælo lapsi sunt, & ad infernum detrusi, boni fuerunt in statu gloriæ; nec enim longius est dilata bonorum merces, quam pœna malorum.

C Quantum ad tertium instans, certum est quod loquendo de illo prout mensuravit primam receptionem præmi aut pœnæ Angelorum, ut stantem sub novitate essendi, certum est, inquam, quod coexistit instanti nostri temporis. Si verò loquamur de gloria & malorum pœna Angelorum, secundum permanentiam & durationem quam important, non mensurantur tempore nostro vel angelico, nec ævo, aut æternitate essentiali, sed æternitate participatâ, ut in Tractatu de visione beatifica ostensum est.

Contra primam partem hujus resolutionis objicere solent recentiores verba illa Ezechiël. 28. per allegoriam à Patribus receptam Luciferi dicta: *In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis, à die conditionis tue.* Id est fuisti inter Angelos gratiâ & charitate fulgentes, atque unus ex illis: Sed ambulasse significat fuisse aliquod spatium temporis, quo ita conversatus est inter bonos Angelos Lucifer, adhuc perfectus in viis suis, & splendens gratiâ à Deo insusâ: Ergo primū instans creationis Angelorum, in quo omnes imperfectè meruerunt, & gratiâ sanctificatè ornati sunt, non soli instans, sed parti nostri temporis correspondet.

Addit Suarez, non videri ita conveniens perfectæ naturæ intellectuali, qualis est angelica, subito transire de una operatione in aliâ, quam aliquandiu durare in sua operatione: primum enim importat levitatem & inconstantiam, quæ non debet in Angelo admitti, præsertim in maximo sui negotio, qualis fuit conservatio divinæ gratiæ, & continuatio in dilectione Dei: secundum verò importat providentiam naturæ intellectuali perfectissimæ, qualis est angelica, concedendam: Ergo mali Angeli non solum per unicum instans, sed per aliquod tempus in actu dilectionis Dei perseverarunt.

Hæc tamen ievia sunt. Ad primum enim respondet D. Thomas quæst. sequenti art. 6. ad 1. hæc verba Ezechiëlis sibi objiciens: *Quod per motus corporales qui per tempus mensurantur, quandoque in Sacra Scriptura intelliguntur metaphorice*

Disp. 14. art. 1.

Disp. 6. art. unico

63

64



phoricè motus spirituales instant aucti; & sic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrii tendentis in bonum. Per pluralitatem autem viarum designatur pluralitas actuum subordinatorum, quos in primo instanti creationis Angelos habuisse diximus, aut saltem multitudo terminationum eisdem actibus ad diversa objecta.

- 65 Ad illud quod addit Suarez, dicendum est, ad perfectionem naturæ omnino intellectualis, qualis est angelica, pertinere quod pro libito duret in sua operatione, vel si voluerit, citò transeat de una operatione in aliam; quia hoc denotat perfectam & expeditam intellectualitatem: quamvis aliunde in hoc transitu de una operatione in aliam possit intervenire levitas, inconstantia, imprudentia, & aliæ imperfectiones; quas in primo Angeli peccato intervenisse concedo, utpote qui ex nimio & inordinato affectu circa propriam excellentiam procedens, non attendit negotio maximi momenti, scilicet sui ipsius in ultimum finem directioni. Addo quod, quamvis magis naturale esset Angelo, in actu ex perfecta libertate & electione elicitio permanere per aliquod tempus, non tamen in actu ad quem non se movet, sed movetur à Deo: hic enim non potest durare in Angelo, nisi per instans nostrum; quia illo instanti transacto, si Angelus continuet eundem actum, non potest non operari movendo seipsum; cum supponatur ex vi primi instantis, & actus in eo elicitus, completus in actu primo, ad hoc ut se moveat, sicut antea declaratum est.

§. II.

Expediuntur objectiones contra precedentes conclusiones fieri solite.

- 66 **C**ontra primam conclusionem, in qua diximus viam malorum Angelorum triplici instanti fuisse completam, objicies cum Cajetano & Nazario. In Angelis malis idem fuit instans damnationis & demeriti: Ergo illorum via duo tantum instantia includit. Consequentia patet ex supra dictis. Antecedens verò probatur primo ex Fulgentio, de fide ad Petrum cap. 3, ubi de malo Angelo ait: *Initium sua damnationis in ipsa voluntatis aversione invenit; ut non esset aliud incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione desituri.* Secundo probatur ex Damasceno libro 2. de fide cap. 4. dicente *hoc in Angelis fuisse lapsum, quod in hominibus est mors*: Sed homo in instanti mortis subit effectum damnationis: Ergo & Dæmon in instanti lapsus. Tertio probatur idem Antecedens ratione. Instantia in Angelis sumuntur penes diversa & successivè se habentia intellectus judicia: Atqui secundum iudicium quod mali Angeli habuerunt de amanda propria excellentia, manet in statu damnationis: Ergo in Angelis malis idem fuit instans damnationis & demeriti.
- 67 Confirmatur: Potest infligi pœna simul cum patratu culpa, & ita contigisse in Angelis probatur: quia in eodem instanti in quo peccarunt, non viderunt Deum: Ergo fuerunt privati visione beatâ, in qua privatione consistit pœna damnati. Addo quod in eodem instanti quo peccarunt, fuerunt inflexibiles in malo: Sed inflexibilitas in malo est propria damnatorum: Ergo in eodem instanti quo peccaverunt mali Angeli damnati sunt.
- 68 Respondeo negando Antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, Fulgentium loqui de initio damnationis tantum extrinseco, ita

A ut in secundo instanti in quo verificatur Angelum peccasse, & esse aversum à Deo, verificetur quod subijt immediate post.

Ad Damascenum verò responderetur hoc in Angelis esse lapsum, quod in hominibus est mors, quantum ad invariabilitatem & inflexibilitatem voluntatis, non verò quantum ad alia.

Ad tertiam probationem, concessa Majori, nego Minorem: nam in secundo instanti Angeli mali habuerunt hoc iudicium: amanda est propria excellentia, non considerata lege divina: modò verò iudicant amandam esse eandem excellentiam, quamvis sit contra legem divinam; habent enim conscientiam remorsum, quo considerant quod sit contra prædictam legem: hæc verò iudicia valde diversa sunt.

Ad confirmationem: Esto possit aliqua pœna simpli infligi patratu culpa, id tamen est negandum de pœna Dæmonum, propter rationes in conclusione adductas. Ad probationem in contrarium, concessio Antecedente, neganda est consequentia: quia privato proprie non est carentia cuiuscumque forme, sed forme debite: pro illo autem instanti quo Angeli peccarunt, non erat illis debita gloria, quia nondum ipsam meruerant per actum deliberatum. Ad id quod additur de inflexibilitate Dæmonum, dicendum est quod inflexibilitas in malo non solum convenit Angelis ut actu damnatis, sed ut immediate post damnandis.

Objicies secundò contra secundam conclusionem. Angeli boni non fecerunt sibi novum instans, per hoc quod perseverarunt meruerunt, sed primum contrinuarunt: Ergo ipsorum via duplici instanti terminata fuit, instanti scilicet meriti, & glorificationis. Consequentia patet ex supra dictis: Antecedens probatur. Angeli boni eundem, quem in primo instanti elicebant charitatis actum, continuerunt quandiu mali peccarunt; & licet habuerint diversa iudicia, unum tamen non repugnabat alteri, nec ipsam, aut operationem ex eo secutam excludat: ut in malis Angelis accidit: Sed diversitas iudicii non sufficit ad diversificandum instans, nisi secundum contrarietatem primo, & illud, ac operationem ex eo secutam excludat: Ergo &c.

Confirmatur auctoritate D. Thomæ hic art. 5. ubi ait: *Angelus post primum actum charitatis qui beatitudinem meruit, statim beatus fuit.* Et clarior quaestione sequenti art. 6. Cum Angeli, inquit, per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniunt, ut supra dictum est (loco scilicet jam adducto) Diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum præstitisset peccando.

Respondeo negando Antecedens, Ad probationem: dato quod bonus Angelus eundem charitatis actum continueret; quia tamen ille actus habuit novum modum repugnantem modò quem habuit in primo instanti, & regularis fuit distinctâ cognitione, idè diverso instanti in continuatione mensuratur. Sicut enim licet actus charitatis elicitus in via, possit idem numero continuari in patria, diversitas tamen iudicii, quo regularis in via & in patria, multiplicat instantia; nec idem instans angelicum, etiam per correspondentiam ad diversa instantia, vel patres nostri temporis, potest mensurare actum charitatis in duplici illo statu via & patria. Ita similiter in proposito &c.